



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

Concilium Londoniense Avctoritate Ottonis Legati Sedis apostolicae pro
reformanda ecclesia Anglicana celebratum anno Domini MCCXXXVII.
tempore Gregorii papae IX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

ANNO CHRISTI 1234. *episcopis, ut omnis pena peccatis debita remissionem iis auctoritate pontificia indulgerent qui in Hierosolymitanam expeditionem aut ipsi exirent, aut pecuniam militisve submitterent. Iniunxitque episcopis, ut Cruce insignire eos possent qui in eo sacro bello militaturi accederent. Ad hac renouauit execrationem Concilii Lateranensis in eos qui ad Saracenos ferrum efferrent, datis literis Theodorico archiepiscopo sexto Idus Nouembris Perusii, quo se Gregorius contulerat, ut exules compeceret.*

ANNO CHRISTI 1237. **CONCILIVM LONDONIENSE**
AVCTORITATE OTTONIS LEGATI SEDIS apostolicæ pro reformanda ecclesia Anglicana celebratum anno Domini MCCXXXVII. tempore Gregorii papæ IX.

TITVLI CAPITVLORVM.

- | | |
|--|--|
| I. De ecclesiarum dedicatione. | XVII. De his qui patribus succedunt in ecclesiasticis beneficiis. |
| II. De sacramentis ecclesiasticis. | XVIII. Contra latronum proteftores. |
| III. De baptismo. | XIX. De esu carniū monachorū. |
| IV. De arcenda auaritia sacerdotum. | XX. De officio archidiaconorum. |
| V. Qui confessores constituendi. | XXI. Ne quid exigatur pro pace reformanda. |
| VI. De qualitate ordinandorum. | XXII. De officio episcoporum. |
| VII. De firmariis & vicariis ecclesiarum. | XXIII. Contra iudices imperisos. |
| VIII. Qualiter ecclesia ad firmam danda. | XXIV. De iusturando calumnia. |
| IX. De eodem. | XXV. De procuratoribus constituendis. |
| X. Qui vicarii ordinandi. | XXVI. Quomodo fieri debeant citationes. |
| XI. Ne leuiter ecclesia absentis alteri conferatur. | XXVII. Ne quis sigillum suum apponat literis quarum confessioni non interfuit. |
| XII. Ne ecclesia vna in plures vicarias diuidatur. | XXVIII. Qui debeant habere sigilla authentica. |
| XIII. De residentia in ecclesiis facienda. | XXIX. Iuramentum ab aduocato prestandum. |
| XIV. De habitu clericorum. | XXX. De actis scribendis. |
| XV. Contra rectores ecclesiarum clandestina matrimonia contrahentes. | XXXI. De cautione prestanda. |
| XVI. De clericis concubinariis. | |

PRÆFATIO.

QVONIAM domum Domini decet sanctitudo & ministris eius, a Domino enim dicitur: *Sancti estote, quoniam sanctus sum ego Dominus Deus vester, fatagit astutia hu-* Ierem. 3.

mani generis inimici vt sanctitatē subtrahat vel destruat vtrobique, dum in plerisque locis, & ne consecrentur ecclesie vel retardat, & ne suo digne fungantur officio, ministrorum mores & vitam multorum vitiat & deprauat, sanctorum patrum regulis & statutis, generaliterque omnibus Christiane religionis profectibus se opponendo. Huic est igitur armata manu a cunctis Christi fidelibus fortiter in fide resistendum, & ad eius molimina renouatis & nouis semper vtendum viribus eneruanda, sicut Isaac puteos, quos foderant filii Abrahæ, sed humo impleuerant Palaestini, prius studuit renouari, deinde alios fodere profus nouos. Denique nos Otto, miseratione diuina sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconus cardinalis, & apostolica sedis legatus, ad partes Angliæ cum legationis officio a sede apostolica destinati, diuino fultri auxilio, & astantis Concilii suffragio & consensu, ad roborandum & reformandum statum ecclesiasticum in partibus Anglicanis, saluis aliis canonicis institutis, quæ cum reuerentia volumus & cupimus obseruari, quædam ex commissa nobis potestate duximus obseruanda, quæ per certos articulos fecimus digeri & distingui.

CAPITVLA.

I.

Basilicarum dedicatio a veteri testamento initium dignoscitur habuisse, & in nouo est a sanctis patribus obseruata: in quo est eo dignius & studiosius facienda, quo in illo tantum offerebantur hostiæ animalium mortuorum, in isto vero cælestis hostia viua & vera, ipse scilicet vnigenitus Dei Filius, in altari offertur pro nobis manibus sacerdotis. Quare statuerunt prouide sancti patres, ne in aliis locis, quam Deo dicatis, nisi necessitatis causa, celebraretur officium tam sublime. Porro quia vidimus per nos ipsos, & a plerisque audiimus, tam salubre ministerium contemni, vel saltem negli-

ANNO
CHRISTI
1137.

ligi a nonnullis, dum multas inuenimus ecclesias, & etiam cathedrales, quæ licet sint ab antiquo constructæ, nondum tamen sunt consecratæ oleo sanctificationis. Volentes huic periculosæ negligentia obuiare, statuimus, & statuendo præcipimus, vt omnes ecclesiæ cathedrales, conuentuales, & parochiales, quæ perfectis parietibus sunt constructæ infra biennium, per diocesanos episcopos ad quos pertinent, vel eorum auctoritate per alios consecrentur: sicque infra simile tempus fiat de cetero construendis. Et ne tam salubre statutum transeat in contemptum, si loca huiusmodi non fuerint infra biennium a perfectionis tempore dedicata, a Missarum solenniis vsque ad consecrationem manere statuimus interdicta, nisi aliqua rationabili causa excusentur. Ad hoc ne præsumant abbates, ecclesiarum rectores, antiquas ecclesias consecratas, sub prætextu pulchrioris vel amplioris fabricæ faciendæ, diruere absque licentia diocesani episcopi & consensu, præsentis statuto districtius inhihemus. Diocesanus vero diligenter consideret, vtrum expediat dare licentiam vel negare; & si dederit, attendat & intendat, vt opus quam celerius poterit consummetur: quod extendi statuimus & volumus ad iam cœpta. De capellanis vero minoribus nil noui duximus statuendum. Consecrationes earum, qualiter & quando fieri debeant, definitionibus canonicis relinquentes.

II.

Sacramenta ecclesiastica, in quibus tamquam

Concil. Tom. 28.

Xx

in vasis cælestibus salutis remedia continentur, nec non oleum sanctificatum & chrisma, a ministris ecclesiæ pure atque deuote, qualibet exclusa cupiditatis labe, statuimus & statuendo præcipimus exhiberi, nulla difficultate in eis adhibita exhibendis, prætextu consuetudinis alicuius, qua dicantur ab eis qui ea recipiunt aliquibus aliqua persoluenda. Sacramenta vero principalia quæ sunt & quot, propter simpliciores duximus exprimenda: sunt enim baptismus, confirmatio, pœnitentia, eucharistia, extrema vnctio, matrimonium, atque ordo: de quorum quolibet in sacris Canonibus est tractatum, & plenius ordinatum. Sed quia non est leue canonum gyrare & ignorare medico medicinale officium, minus graue statuimus, vt in susceptione curæ animarum & ordinis sacerdotii examinentur de his præcipue ordinandi. Archidiaconi quoque in decanatum suorum conuentibus sacerdotes maxime in his studeant erudire, docentes eos qualiter circa baptismum, pœnitentiam, eucharistiam, & matrimonium, debeant se habere.

III.

Ad baptismum solenniter celebrandum duo, scilicet sabbatum ante resurrectionem Domini, & sabbatum ante pentecosten, sunt a sanctis Canonibus propter mysterium deputata. Sed quidam, vt audiuius, in partibus istis diabolica fraude decepti, periculum suspicantur, si præfatis diebus pueri baptizentur; quod arbitrari, vel vtrumque metuere, sanæ fidei penitus aduersatur, & manifeste conuincitur esse falsum, cum summus pontifex

ANNO
CHRISTI
1237.

personaliter illud mysterium solennizet, & diebus baptizet solenniter memoratis, & in aliis mundi partibus seruet ecclesia illud idem. Quare statuimus, vt a tanto errore prædicatione frequenti populus auertatur, & ad solennizandum præfatis diebus baptismum, & baptizandum pueros suos studiosius meditentur. Statuimus insuper vt parochiales presbyteri formam baptismi firmiter addiscentes, eam parochianis suis frequenter exponant diebus dominicis in vulgari, vt si articulus necessitatis emergat, quo ipsos aliquem oporteat baptizare, eam sciant & valeant obseruare; quæ, vtrum seruata fuerint, inquirant postmodum diligenter.

I V.

Auditu horribili audiuius & relatu, quod quidam, scilicet miseri sacerdotes, dum forsan in beneficium vicariæ, vel ad firmam, seu quacumque alia quæstus causa, prouentus ex altari aut ex pœnitentia venientes recipiunt, non aliter admittunt ad pœnitentiam confitentes, nisi prius ab ipsis in sinu auaritiæ suæ quidpiam reponatur: sicque faciunt de aliis sacramentis. Quoniam igitur qui talia agunt regno Dei & beneficio ecclesiastico sunt indigni, statuendo districte præcipimus, vt inquisitione arctissima per episcopos de his facta, qui tale aliquid commisisse repertus fuerit, & a beneficio, quod obtinet, remoueatur omnino, & ab officio, quod perperam gessit, perpetuo suspendatur.

V.

Quod in quodam Concilio statutum inuenimus approbantes, statuimus, vt per quoslibet de-

canatus prudentes viri & fideles constituantur per episcopum confessores, quibus personæ & minores clerici confiteri valeant, qui decanis erubescunt confiteri forsitan & verentur. In ecclesiis vero cathedralibus confessores institui præcipimus generales.

VI.

Sacer ordo eo est digno dignius conferendus, quo ab ordinato sacramenta cetera conferuntur. Quare cum periculosum sit minus dignos, idiotas, illegitimos, irregulares, & extraneos, aut sine titulo certo & vero aliquos ordinari, statuimus vt ante collationem ordinum de his omnibus per episcopum indagatio diligens habeatur. Et ne reprobatis, qui fuerint reprobandi, approbatis, clanculo se valeant immiscere reprobandi, in examinatione scribatur numerus & nomina approbatorum: & qui scripti fuerint, postmodum in ordinationis limine perlecta scriptura discretione sollicita requirantur, ipsaque scriptura apud episcopum vel ecclesiam conferuetur.

VII.

Ecclesias dari ad firmas, vel generaliter constitui vicarium in eisdem, nostra nequaquam volumus auctoritate fulciri. Sed propter infirmitatem multitudinis, quæ in causa est, ne videamur potius laqueos iniicere quam inuenire remedia, prohibitionis edictum contra ea emittere formidamus. Quibusdam tamen moribus ex eis orientibus ad nostram delatis notitiam occurrere coarctamur. Accidit enim plerumque, vt dum hi qui firmarii

ANNO
CHRISTI
1137.

appellantur, lucrari plus appetant quam exoluant, turpes exactiones faciunt, quæ interdum etiam cadunt in simoniacam prauitatem. Quare statuendo districtius prohibemus, ne dignitates vel officia, puta decanatus, vel archidiaconatus, siue prouentus, ex ecclesiasticæ vel spiritualis iurisdictionis exercitio, siue ex pœnitentia vel altari, seu aliis sacramentis quibuslibet venientes, ad firmam de cetero nullatenus concedantur.

VIII.

Cum laicis ecclesias dari ad firmas sit penitus inhonestum, & clericis quibuscumque ad longum tempus, propter continuationem temporis, quæ afferre consuevit periculum, ecclesiis posset esse damnosum, vtrumque districtius inhibentes statuimus, vt nec laicis vnquam, nec personis etiam ecclesiasticis vltra quinquennium ecclesiæ ad firmam concedantur, nec finito quinquennio renouentur eisdem, nisi prius ipsas habuerint alii mediate: & vt omnia sint in tuto, præcipimus vt præsentibus episcopis vel archidiaconis firmaria fiat conuentio, ex qua plures literæ conscribantur, quarum vna remaneat penes ipsos.

IX.

Alicubi audiuius contigisse, quod vacante pingui ecclesia, quam quidam optabat habere, nec tamen audebat eam recipere vt persona, ne aliis ipso iure beneficiis quæ obtinuit priuaretur, callide procurauit vt ecclesia illa sibi ad firmam perpetuo traderetur, ita quod modicum quid inde solueret alii nomine personatus, sibi que totum reliquum

retineret : quo dante causam , edicto statuimus , vt in tota vel in parte ad firmam alicui sub quocumque colore in beneficium conferatur : cassum & inane fore penitus decernentes , si contra fuerit attentatum.

X.

Ad vicariam statuimus nullum admittendum , nisi iam presbyterum ordinatum , vel saltem diaconum in proximis quatuor temporibus ordinandum , qui renuntians beneficiis aliis , si quæ habet curam animarum habentia , iuret residentiam ibi facere , ac eam faciat continue corporalem : alioquin institutionem illius fore nullam decernimus , & vicariam alii conferendam. Sic eluditur illi dolo , quo sæpe assignato alicui nomine personatus modico , simulate dabatur illi ecclesia sub ficto nomine vicariæ , qui timens alia beneficia perdere , metuebat eam recipere vt persona. De iam institutis vero vicariis , qui non sunt presbyteri , cum vicarii teneantur personis & ecclesiis deseruire , statuendo præcipimus , vt infra annum , ad minus , se faciant in presbyteros ordinari : alioquin , si per eos steterit , quo minus infra annum vt diximus , ordinentur , eos extunc vicariis eisdem fore decernimus priuatos , & de residentia circa eos statuimus quod de instituendis supra diximus statuendum.

XI.

Ad elidendum fallacias iniquorum , sagaci est studio laborandum cuiilibet iustitiæ amatori , ne sit torpescat rectorum industria , simplicitas a versutia supplantetur , & succumbat veritas falsitati. Sa-

ANNO
CHRISTI
1137.

ne relatione accepimus plurium, quod quidam in absentis beneficium oculos iacentes, novos fingentes rumores, asserunt se audisse mortuum esse, vel beneficium resignasse beneficii possessorem, sicque procurant in istud beneficium quomodo libet se intrudi: & si forsitan reuiuiscens qui mortuus fuerat ad suam ecclesiam reuertatur, Nescio te frater, respondeatur eidem, & clauditur ianua contra eum. Nonnulli etiam nimia cupiditate cæcati, non solum in absentium beneficium, sed etiam in præsentium clanculo irrumpere, vel vbi-cumque possunt ea inuadere non formidant: & cum intro fuerint, nec profunt sententiæ, nec aliquid quo valeant mitti foras, quoniam armorum potentia se defendunt. In vtroque igitur articulo remedium quale possumus adhibentes, statuimus districtius, prohibentes ne prætextu opinionis vel famæ, quæ de morte vel de cessione habeatur absentis, eius beneficium aliquatenus conferatur: sed prælatus, donec plenius de alterutro instruat, expectet. Alioquin ad refarciendum omne damnum ex hoc inflictum absenti eum fore decernimus obligatum, & illum qui se procurauit intrudi, præter restitutionem bonorum, officio beneficioque suspensum protinus ipso facto: quod & ad illum extendi volumus qui beneficium ecclesiasticum altero possidente auctoritate propria, vel potius vi, vel clam, occupare præsumit; vel, postquam declaratum fuerit ad alium pertinere, armis se defendere nititur in eodem.

XII.

Cum ars artium, teste beato Gregorio, sit regimen animarum, non cessat antiquus sophista suæ gyrare molimina fraudis, & in falsæ præventionis studere fallaciis, quo valeat concludere disciplinis artis, & eos excludere a salute quos imperitos inuenit vel incautos. Hoc est quod facit transgredi mandata Dei, & sanctorum patrum regulis contraire, dum nec sermo diuinus, nec sanctiones canonicæ, a distorto itinere possunt reducere peccatores. Exigit enim ars nostra catholica, vt vnicus & in vna ecclesia sit magister perfectus, ordine, habitu, vita, scientia & doctrina, & quod pura sit ecclesiæ ordinatio atque simplex. Sed obiectio diaboli multos facit in hoc dogmate deuiare, dum interdum eo suggerente non vni tantum vna datur ecclesia, sed pluribus, prætextu plurium patronorum, vt sint plura capita in eodem corpore, quasi monstrum. Et interdum consentit persona, quæcumque sit occasio, vt aliquid concedatur alii nomine personatus absque magistro; præterea ecclesia sæpe maneat, dum nec persona in ea, nec saltem vicarius inuenitur perpetuus, sed aliquis forte simplex sacerdos, qui nec ius habet, nec etiam iuris imaginem in eadem. Et si moram forsitan persona ibi trahat, non est tam perfectus ordine, quoniam non sacerdos, nec habitu, quoniam visus ab aliquo non clericus, sed miles potius putaretur: de vita, scientia & doctrina est ei modica, heu, cura. Ordinatio quoque ecclesiæ raro fit simplici oculo, vt deberet, nec enim commenta fraudis

ANNO
CHRISTI
1137.

dis diabolicæ defunt ibi. Nam interdum, vt audi-
uimus, alicuius confertur ecclesia, hoc actõ tacite
vel expresse, quod aliquid ibi retineat instituens
vel præsentans, vel aliquam alius ex ea percipiat
portionem, qui totum erat forsitan habiturus, ni-
si iuris impotentia, vel metu perdendi alia bene-
ficia, dimisisset. Cedit etiam quis aliquando per-
sonatui, & ab instituto inibi recipit postmodum
vicariam: quod fieri non præsumitur sine fraude.
Has igitur diminutiones & particulares assigna-
tiones & mutationes, tamquam arti nostræ con-
trarias reprobantes, ne de cetero fiant penitus pro-
hibemus; firmiter statuentes vt nunquam dein-
ceps in plures personatus vel vicarias vna ecclesia
diuidatur: & quæ diuisæ sunt hætenus, quam ci-
tius se facultas obtulerit, integrentur: nisi forsitan
sic instituta fuerit ab antiquo, vbi est per loci epi-
scopum prouidendum, quod causa redditus, quam
parochia congruis inter eos portionibus & regio-
nibus. Prouideant etiam diocesani, vt semper a-
pud ecclesiam resideat aliquis qui de animarum
cura sit sollicitus, ac se in celebratione diuinorum
& collatione sacramentorum exerceat vtiliter &
honeste.

XIII.

De residentia vero in ecclesiis a rectoribus fa-
cienda videtur nobis consulendum factõ potius
quam statuto. Extant enim Concilia Romanorum
pontificũ luce clarius loquentia super eo, propter
quod maior requiritur executio statutorum, quam
ediçtio sançtionum. Idem quoque per omnia di-
cimus & sentimus de his qui plures dignitates, per-

Concil. Tom. 28.

Yy

Locus cor-
ruptus.

sonatus, seu beneficia curam animarum habentia, contra constitutionem Concilii generalis absque dispensatione sedis apostolicæ speciali præsumunt in salutis suæ periculum detinere.

XIV.

Quoniam de habitu clericorum, qui non clericalis videtur, sed potius militaris, graue scandalum laicis generatur, firmiter statuendo præcipimus, vt ad formam tam de vestibus clericorum quam de ornamentis equorum in generali Concilio edictam per subtractionem beneficiorum ab episcopis restringantur, ita quod in mensura decenti vestes habeant, & cappis clausis vtantur in sacris ordinibus constituti, maxime in ecclesia, & coram prælatis suis, & in conuentibus clericorum & vbique in parochiis suis, qui cum animarum cura ecclesias susceperunt. Et vt possint episcopi alios melius ad honestatem vestium, tonsuram & coronam decentem, & equorum ornamenta idonea coarctare, prouideant vt a suis clericis commensalibus hæc prius faciant obseruari, habentes eos in vestibus, calcaribus, frenis & sellis, clericalis gerentes habitum honestatis.

XV.

Innotuit nobis referentibus plurimis fide dignis, quod multi propriæ salutis immemores, matrimoniis contractis clandestine retinere cum vxoribus ecclesias, & ecclesiastica beneficia adipisci, & de nouo promoueri ad sacros ordines, contra statuta sacrorum Canonum, non formidant. Deinde processu temporis, proli susceptæ de tali co-

ANNO
CHRISTI
1137.

pula expedire videtur, ipsis viuentibus vel defunctis, per testes vel instrumenta probare contracta fuisse matrimonia inter eos. Verum quia per clericos matrimonio seu contubernio intendentes procurari animarum perditio, negligi salus earum, & ecclesiastica diripi sub morbo, qui multum inualuit, asseritur, sic duximus occurrendum, vt si repertum fuerit aliquos taliter contraxisse, & ab ecclesiis & ecclesiasticis beneficiis, quibus tam eos quam quoslibet vxoratos fore decernimus ipso iure priuatos, remoueantur omnino: & si quæ bona post huiusmodi matrimonium qualitercumque quæsitæ fuerint, per ipsos vel submissas personas de bonis eorum, ea nequaquam filiis vel vxoribus huiusmodi, sed ecclesiis quas tenuerunt, vel in quibus habuerunt beneficia, protinus applicentur. Ipsi quoque filii ad ecclesias, & ecclesiastica beneficia, & ecclesiasticos ordines, velut inhabiles, nullatenus admittantur, nisi cum eis, exigentibus eorum meritis, fuerit canonice dispensatum.

XVI.

Licet ad profligandum a laribus ecclesiæ putridum illud turpitudinis libidinosæ contagium, quo decor ecclesiæ grauiter maculatur, studuerunt semper ecclesiastici correctores, ipsum tamen tantæ improbitatis existit, vt semper se ingerat impudendum. Nolentes igitur tantam ecclesiæ ignominiam conuiuentibus præterire oculis incorruptam, statuta Romanorum pontificum, & maxime decreta Alexandri papæ super hoc edita, se-

Concil. Tom. 28.

Yy ij

quentes, statuimus & statuendo præcipimus, vt nisi clerici, & maxime in sacris ordinibus constituti, qui in domibus suis vel alienis publice detinent concubinas, eas a se prorsus remoueat infra mensem, ipsas vel alias nullatenus de cetero detenturi, ab officio sint suspensi, ita quod vsquequo super hoc digne satisfecerint, de beneficiis ecclesiasticis se nullatenus intromittant, alioquin ipso iure ipsos eos decreuimus fore priuatos. Volumus quoque & districte præcipimus, vt archiepiscopi & episcopi diligentem faciant super hoc per omnes decanatus fieri inquisitionem, & quod statuimus obseruari.

XVII.

Licet adeo detestati fuerint sancti patres, quod beneficia ecclesiastica iure possint hereditario possideri, vt in eis etiam sit interdicta successio sobolis bene natæ, quidam tamen de nefario coitu procreati, pede impudentiæ iuris & honestatis auctoritatem calcantes, in beneficia huiusmodi, quæ patres eorum nullo modo tenuerunt, irrumpere, atque ausu temerario detinere non formidant. Hoc igitur nos, qui ad reuelandum honestatis ecclesiasticæ casum ad partes istas venimus, attendentes, statuendo districte prohibemus, & prohibendo statuimus, vt ecclesiarum prælati aliquos tales in beneficiis huiusmodi, quæ patres eorum quocumque titulo tenuerunt, in totum vel in partem quocumque colore vel fraude instituere, vel utcumque admittere immediate de cetero non præsumant. Illos vero qui beneficia huiusmodi

iam illicite sunt adepti, eis præfenti statuto decernimus fore priuatos.

XVIII.

Contra latronum flagitia, quibus nimis abundat regio Anglicana, quod nequaquam esset, vt accepimus, nisi maiores eos defenderent & tenerent, sic duximus statuendum, vt nemo eos protegat, vel defendat, seu teneat in domibus suis, vel in villis, quos sciuerint vel manifestum fuerit latrocinium exercere. Eos autem qui contra fecerint, si tertio moniti per ecclesiasticum iudicem ordinarium, ipsos a se non abiecerint, excommunicationi ecclesiasticæ subiugamus. Monitionem autem volumus & statuimus sufficere generalem, etiam si fiat alicuius vel alicui nomine non expresso, dummodo ita publice ac solenniter fiat, quod ad eorum notitiam valeat peruenire.

XIX.

Audiuimus, & lætati sumus, quod religiosi viri abbates ordinis sancti Benedicti, per Angliam constituti, conuenientes nuper in suo capitulo generali, tamquam filii, iuxta sermonem propheticum, ad suos terminos reuertentes, prouide statuerunt, vt de cetero secundum beati Benedicti regulam ab esu carniū debeant abstinere, exceptis debilibus & infirmis, quibus debet secundum eiusdem regulæ continentiam in infirmario prouideri. Quod utique approbantes, statuimus inuiolabiliter obseruari. Adicimus quoque, quod postquam nouitii, anno probationis finito, gestauerint habitum monachalem, ad professionem iuxta decre-

tum vel decretalem felicis memoriae Honorii papa, districtione ecclesiastica vel canonica per abbatem protinus compellantur: nec aliquis, qui professionem non fecerit, in abbatem vel priorem aliquatenus admittatur. Hoc autem, & quod de professione, finito probationis tempore, faciendum duximus, ad canonicos regulares vel moniales duximus prorogandum. Super aliis vero, quae ad correctionem vel reformationem tam canonicorum quam aliorum regularium nouerimus pertinere, prouidere intendimus, & quae ecclesiis eorum utilia, ipsis quoque salubria fuerint, concedente Domino, statuemus, & statuta mandabimus per eorum capitula solenniter publicari.

XX.

De archidiaconis quoque statuimus, ut ecclesias utiliter & fideliter visitent de sacris vasis & vestibus, & qualiter diurnis & nocturnis officiis ecclesiae seruiatur, & generaliter de temporalibus & spiritualibus inquirendo, & quae corrigenda inuenierint, corrigant diligenter. Ecclesias autem superfluis non grauent expensis, sed procuraciones exigant, dumtaxat cum visitant, moderatas: non secum ducant extraneos, sed modeste se habeant, tam in familia quam in equis: nec ut non visitent aut corrigant, siue crimina puniant, aliquid ab aliquo recipere praesumant: nec sententiis aliquos inuoluant iniuste, quo ab eis pecuniam possint extorquere. Cum haec enim & talia simoniacam sapiant prauitatem, decernimus ut eos, qui talia agere praesumpserint, sic extorta in duplum ero-

ANNO CHRISTI 1137.
gare in pios vsus arbitrio episcopi compellantur alias, salua nihilo minus pœna canonica contra eos. Sint autem solliciti frequenter interesse capitulis per singulos decanatus, in quibus diligenter instruant inter alia sacerdotes, vt bene sciant & sane intelligant verba canonis & baptismi, quæ scilicet sunt de substantia sacramenti.

XXI.

Ceterum districtius duximus inhibendum, ne ecclesiarum prælati, & maxime archidiaconi, & decani, vel officiales eorum, vel etiam quicumque alii ad vniuersitatem causarum vel aliqua negotia, ratione iurisdictionis ecclesiasticæ vel officii spiritualis, ecclesiæ forum contingencia delegati, quin de discordiis vel querelis fiat pax vel concordia inter partes præsumant aliquatenus impedire: sed quandocumque partes voluerint, a iudicio per compositionem recedant, dummodo sit tale negotium quod iure possit transigi vel componi, nec exigatur aliquid propter hoc ab eisdem.

XXII.

Quid ad venerabiles patres archiepiscopos & episcopos incumbat ex officio faciendum, nomen dignitatis eorum, quod est episcopus, id est superintendens, exprimit euidenter. Intendere quippe habent, & supra gregem suum, iuxta verbum euangelicum, noctis vigiliis custodire. Cum igitur esse debeant forma gregis, ad quam se debent subditi reformare, quod nequit fieri, nisi omnibus se exhibeant in exemplar. Exhortamur igitur eos in Domino, & monemus, vt moram trahentes apud

cathedrales ecclesias, congruenter ibidem Missas celebrent, in præcipuis saltem solennitatibus, & diebus dominicis, in quadragesima & aduentu. Circumeant præterea dioceses suas temporibus opportunis, corrigendo & reformando, consecrando ecclesias, & verbum vitæ in agro dominico seminando. Ad quæ omnia melius exequenda, professionem, quam in sua consecratione fecerunt, saltem bis in anno, scilicet & in maiori quadragesima faciant sibi legi.

XXIII.

Cum non solum potestas sed discretio & scientia in distinguendis negotiis potissimum requiratur, solerter ab omnibus præcauendum, ne talis iudex vel cognitor deputetur, per cuius imperitiam, simplicitatem vel ruditatem, inutilis feratur sententia vel iniusta, absoluat necens, & innocens condemnatur. Propterea duximus statuendum, quod matrimoniales causæ, quæ inter ceteras maturitate magna & diligentia sunt tractandæ, viris prouidis & fide dignis, & habentibus iurisperitiam, vel saltem competens exercitium, committantur. Si qui vero abbates archidiaconum vel decanum habent, ex priuilegio vel consuetudine approbata, quod de matrimonialibus causis cognoscant diligenter, ipsas examinare procurent, ita quod tam ipsi quam delegati eorum ad definitiuam sententiam non procedant, nisi habita prius deliberatione de causæ meritis cum diocesano episcopo diligenti, ipsiusque requisito consilio & obtento: ad quod etiam volumus teneri exēptos, vel speciali priuilegio munitos.

ANNO
 CHRISTI
 1237.

XXIV.

Iusiurandum calumniæ in causis ecclesiasticis cuiuslibet, & de veritate dicendi, in spiritualibus quoque, vt veritas aperiatur facilius, & causæ celerius terminentur, statuimus de cetero præstari in regno Angliæ, secundum canonicas & legitimas sanctiones, obtenta in contrarium consuetudine non obstante. Huic statuto vtiliter annectentes, vt iudiciales induciæ iudicis dentur arbitrio, iuxta legitimas & canonicas sanctiones.

XXV.

Vsum procuratorum in obsequium iustitiæ introductum, vt eius qui causæ suæ non potest intendere, per alium absentia releuetur, conuertit frequenter antiqui hostis inuidia in abusum. Ex consuetudine namque, vt dicitur, hic habetur, vt citatus ad diem certum, procuratorem tantum ^{* forte vi} constituat ad eundem absque * vt per literas sigillo authentico non signatas: vnde fit quod dum talis procurator vel probare mandatum, vel fidem literis imponere non vult per testes, aut aliud impedimentum occurrit, nil agitur illa die: sed nec expirante procuratoris in sequenti, sicque perit illa instantia sine fructu. Huic igitur fallaci cautelæ clypeum opponere cupientes, statuimus de cetero, vt in causis ecclesiasticis regni Angliæ procurator constituatur simpliciter; & si constituatur, ad diem non vnum tantum, sed plures continuandos, si opus fuerit, constitui volumus, & intelligi constitutum. Mandatum etiam per scripturam probetur authenticam, nisi apud acta fuerit constitutus, aut

figillum authenticum de facili nequiverit constituens inuenire.

XXVI.

Tanto calliditatis studio persequuntur alterum se litigantes, ut in supplantationem alterius, calcato iustitiæ cultu, alter faciat quicquid possit. Denique a multis accepimus, quod citatorias literas impetrantes, eas ad locum, ubi morari dicitur qui citatur, per tres destinant garriones, quas super altare loci eiusdem ecclesiæ, vel ibidem in alio loco, duo ponunt, & tertius rapit statim. Ex quo fit ut duobus testificantibus postmodum, quod illum citauerint, iuxta morem sententiæ & regionis consuetudinem excommunicatur, vel suspenditur contumax, qui contumaciæ prorsus, utpote citationis, expers erat. Hunc itaque abusum tam detestabilem, & alios similes, zelo iustitiæ prosequentes, statuimus ut per impetrantes, vel eorum nuntios, in causis ecclesiasticis regni Angliæ, literæ citationis de cetero non mittantur, sed iudex moderatis sumptibus impetrantis, per suum fidelem nuntium eas mittat, qui vocandum diligenter perquirat: quem si reperire non poterit, die dominico, vel in alio die solenni, in ecclesia loci illius in quo degere consuevit, dum Missa cantatur, publice legi literas faciat & exponi, vel saltem ad decanum, in cuius decanatu moratur qui vocandus est, citatio dirigatur, qui a iudice missus fideliter hæc prosequatur per se aut per certos suos nuntios & fideles, quodque inde fecerint eidem rescribere iudici non omittat.

XXVII.

ANNO
CHRISTI
1137.

Quanto scripturarum, quæ sigillo authentico muniuntur, est vsus magis necessarius in partibus Angliæ, vbi publici notarii non existunt, tanto diligentius cauendum est ne per aliquorum insolentiam possint pertrahi ad abusum. Conficiuntur enim, vt audiuius, literæ, ac signantur non tantum a minoribus clericis, verum etiam a prælatis, in quibus manifeste cauetur contraxisse aliquem, contractui vel negotio adfuisse, vel extitisse aliquem ad iudicium euocatum, seu sibi literas citatorias præsentatas, qui tamen nunquam præsens fuerat vel inuentus, imo forsitan in alia prouincia vel dicecesi tunc degebat. Ceterum, cum scripturæ huiusmodi falsitatis vitium contineant manifeste, fieri talia vel similia districtius inhibentes, prouida deliberatione sancimus, quod si fuerint in his deliquisse conuicti, & qui talibus literis, maxime in alterius præiudicium, præsumperint ac perseuerauerint, vt scienter pœna falsariis & instrumentis falsis vtentibus debita puniantur.

XXVIII.

Quoniam tabellionum vsus in regno Angliæ non habetur, propter quod magis ad sigilla authentica credi est necesse, vt eorum copia facilius habeatur, statuimus vt sigillum habeant non solum archiepiscopi & episcopi, sed etiam eorum officiales. Item abbates, priores, decani, archidiaconi, & eorum officiales, decani rurales, nec non ecclesiarum cathedralium capitula, & cetera quoque collegia & conuentus cum suis rectoribus, aut di-

Concil. Tom. 28.

Zz ij

uissim, iuxta eorum consuetudinem vel statutum : pro varietate quoque cuiuslibet prædictorum, habeat vniuscuiusque sigillū nomen, puta dignitatis, officii, collegii, & etiam illorum proprium nomen, qui dignitatis vel officii perpetui gaudent honore, inculptum notis & characteribus manifestis, sicque sigillum authenticum habeant. Denique illi qui temporale officium susceperint, puta decani rurales, & officiales, sigillum suum, quod tantum nomen habeat inculptum, finito officio, ei a quo habeant officium, continue & sine mora resignent. Sane de custodia sigillorum curam haberi præcipimus diligentem, scilicet vnusquisque per se illud custodiat, vel vni soli, de cuius fide confidat, custodiendum committat : qui etiam iuret quod fideliter illud custodiet, alicui nec etiam ipse aliquid inde sigillet, ex quo possit alicui præiudicium generari, nisi quod dominus eius prius legerit & viderit diligenter, & sic præceperit sigillari. In facienda vero sigilli copia fidelis & prouida sit cautela ; fidelis, vt indigentibus de facili præbeatur ; prouida, vt falsis & fraudulentis penitus denegetur. In principio quoque vel in fine cuiuslibet scripturæ authenticæ sufficientem datam inseri statuimus diei, temporis, & loci.

XXIX.

Clamorem iustitiæ audiuius conquerentis, quod etiam nimis impediunt per cauillationes & versutias aduocati, negant plerumque per ignorantiam iudices imperiti, & illudunt eis per contumaciam sæpe partes. Nam contingit aliquando, quod

missus in possessionem, causa rei seruandæ, ipsam retinere contendat, licet aduersarius redeat infra annum, & iuri per omnia satisfacere sit paratus. Aliquando vero qui in possessionem missus fuerit nec infra annum, nec post quamtumcumque verus constituatur possessor, valet illam possessionem resistente cum armis aduersario adipisci. In adiutorium itaque iustitiæ assurgentes, approbatione Concilii statuimus, vt qui aduocati officium voluerit generaliter promereri, apud diœcesanum, cuius origine vel domicilio iurisdictionis existit, præbeat iuramentum, quod in causis quarum patronus extiterit patrocinium fidele præstabit, non ad differendam vel auferendam alterius parti iustitiam, sed ad causam clientuli legibus defendendo & rationibus. Alias autem non admittantur in causis matrimonialibus & electionibus, nisi iuramentum simile voluerint præstare in eisdem, sed nec in aliis coram ecclesiastico iudice vltra terminos tres absque iuramento huiusmodi admittantur nisi pro ecclesia sua, vel domino, aut amico notorie vel paupere, seu extraneo, vel persona miserabili, duxit forsitan postulandum. Caueant omnes aduocati, ne per se vel per alios testes subornent, vel partes instruant, falsum ponere vel suppressere veritatem: qui contra fecerint, ipso facto ab officio & beneficio sint suspensi, quousque super hoc satisfecerint competenter, & alias nihilo minus, si de his conuicti fuerint, pœna debita puniantur. Iudices quoque iuris ignari, si dubium quid emerferit, ex quo possit alterutri partium

graue præiudicium generari, expensis vtriusque a-
licuius consilium aduocet sapientis.

XXX.

Statuimus insuper, vt, in quantum poterunt, con-
stitutionem generalis Concilii, tam in ordinariis
quam extraordinariis iudiciis obseruantes, acta o-
riginalia & authentica diligenter ac fideliter penes
se custodiant, vel per scriptores suos faciant cu-
stodiri, vt partibus inde, vt debuerint, copiam fa-
ciant: quibus omnia postquam scripta fuerint, præ-
cipimus, & præcipiendo statuimus publicari, vt, si
erratum fuerit in scribendo, corrigatur, & vt veri-
tas possit de his quæ acta fuerint liquido apparere.

XXXI.

Prouideant præterea iudices, vt cum aliquem
decreuerint in possessionem mittendum, ob con-
tumaciam partis aduersæ de restituenda possessio-
ne cum fructibus, si quos inde perceperit, dedu-
ctis expensis legitimis, si aduersarius infra annum
redierit ad mandatum ab eo qui mittendus fuerit,
congruam recipiant cautionem. Illum quoque,
qui possessionem possidere præsumpserit violen-
ter, in quam ob eius contumaciam alius missus fuit,
& post annum verus possessor etiam constitutus,
iure, si quod habuit in ea re, decreuimus fore pri-
uatum.

Hæc cum tertia die peragerentur, incepit dominus le-
gatus solenniter, Te Deum laudamus, omnibus assurgen-
tibus. Et postea incepta antiphona, In viam pacis, cum
psalmo, Benedictus Dominus Deus Israel, dictisque col-
lectis specialibus, & data benedictione cum non paruo
gaudio recefferunt.

NOTA.

ANNO
CHRISTI
1137.

^a Concilium.] Matthæus Paris descripturus causam, occasionem, & acta indicti Concilii, antequam constitutiones synodicas recenscat, summam ista refert: *Cum igitur conuenissent Londoniis prelati Angliæ in ecclesia sancti Pauli, die prima Concilio assignata, scilicet in crastino octauarum sancti Martini, non comparuit legatus, quia episcopi rogauerant eum ut ea die daretur eis copia inspiciendi que proposuit statuere, & secum super his deliberare, ne aliquid in prauidicium eorum statuere attentaret. Altera igitur die constitutis in secretis & abditis locis militibus armatis & seruentibus circiter ducentis, quos ei ad instantiam precum suarum dominus rex commodauerat: timebat enim valde sibi, eo quod dicebatur eum nimis velle deservire in eos qui plura habebant beneficia, & precipue illegitimos. Apparuit autem summo mane, scilicet diluculo, in ecclesia predicta: (erat autem ibi tot expectantium multitudo tam compressa, quod ipsi legato erat ingressus difficillimus) & ingressus ecclesiam coram maiori ecclesia pontificalibus se induit, scilicet superpellicio, & desuper cappa choralis pellibus variis furrata, & mitra: & precedentibus archiepiscopis Cantuariensi & Eboracensi eum cum processione solenni, cum cruce & cereis accensis, & cum litanis, sedem suam ascendit, per gradus pompose, ut dictum est, preparatam, & iam pomposius tapetis & pallis redimitam; collocante se a dextris domino Cantuariensi, & Eboracensi a sinistris: propter quod orta est inter eos dissensio, scilicet de ordinatione sessionis: & appellatum est ex parte Eboracensis pro iure suo quod sibi vendicabat. Lecto igitur sollemniter euangelio, scilicet, Ego sum pastor bonus, sicut moris est, dictisque collectis propriis ab ipso legato, & cantato, Veni Creator Spiritus, appellatoque ab Eboracensi, ut dictum est, sederunt iuxta legatum duo archiepiscopi, Cantuariensis a dextris, Eboracensis a sinistris. Quibus dixit legatus, volens ipsam controuersiam pacificare, neutrius tamen iuri derogando: In bulla domini papa stat imago Pauli a dextris crucis in medio bulle figurata, & Petri a sinistris: nulla tamen inter tantos sanctos est orta unquam contentio, ambo enim sunt in coequali gloria. Verumtamen propter Petri clauigeri dignitatem, & apostolatus principatum, nec non & cathedralem dignitatem cum prioratu vocationis, merito a dextris crucis eius imago collocanda videtur. Sed quia Paulus credidit in Christum, quem non vidit a dextris figuratur: beati enim qui non viderunt, &c. Sic dominus Cantuariensis totius Angliæ primas, & qui preest antiquissima ac nobilissima ecclesia Cantuariensi, nec non & Londinensi, qua est sancti Pauli, non sine ratione a dextris est collocandus. Et extunc sequentibus diebus sedit Cantuariensis a dextris, Eboracensis a sinistris. Secundo autem die Concilio iam incepto, missi sunt ex parte domini regis comes Lincolnensis Ioannes, & Ioannes filius Galfridi, & Vilielmus de Rele, canonicus sancti Pauli, ut dicto legato ex parte regis & regni inhiherent, ne ibi contra regiam coronam & dignitatem aliquid statuere attentaret. Et remansit ibi, ut hoc obseruaretur, Vilielmus de Rele, indutus cappa canonicali & superpellicio, aliis recedentibus. Eodem quoque die*

petiit dominus Simon Cantuariensis archidiaconus dominum legatum in audientia omnium, ut audiretur ab omnibus authenticum sua legationis a domino papa sibi commissum: quod & factum est. Et eodem die ad impetrationem domini regis lectum fuit quoddam privilegium de festiuitatibus sancti Eduardi per totam Angliam celebrandis: & de mandato domini papa de sanctis Francisco & Dominico canonizatis. Et quia audierat dominus legatus, dum adhuc in hospitio suo esset, multos pluribus ecclesiis beneficiatos, nobiles sanguine & possessionibus, & illegitimos, de quibus mentionem in quodam statuto Concilii fecerat, contra ipsam murmurasse, & ei etiam insidias preparasse, quosdam magnates, scilicet comitem marescallum G. & comitem Lincolnie I. & comitem de Monteforti S. & quosdam de familia domini regis, cum gladiis & fustibus munitos ad tuitionem sui suorumque secum ad Concilium duxit & reduxit. In Concilio vero, cum statutum contra eos qui plura beneficia obtinuerunt contra Concilium Lateranense pronuntiaretur, episcopus Vigorniensis, Valterus scilicet de Cantelupo, surgens in medio, de posita mitra sua, sic dominum legatum est affatus: Pater sancte, cum multis nobiles, quorum sanguis noster est, plura obtineant beneficia, cum quibus nondum dispensatum est, quorum etiam aliqui prouecta sunt aetatis, & usque ad presens honorifice vixerunt, & hospitalitatem ad posse procurando eleemosynas patentibus ianuis erogarunt, durum esset nimis tales suis beneficiis spoliatos in ignominiosam trudi paupertatem. Quidam vero iuuenes feroces ac strenui maximis periculis se opponerent, antequam suis se sinerent priuari beneficiis, unico tantum retento. Quod bene perpendo per memetipsum. Antequam enim ad istam vocarer dignitatem, proposui in animo meo, quod si unicum amitterem beneficium talis preteritu constitutionis, omnia amitterem. Vnde timendum est quod multi ad presens in simili proposito perseverent. Quoniam igitur multitudo talium in causa est, sancta paternitati vestra supplicamus, quatenus ob salutem vestram & nostram super huiusmodi statuto dominum papam consulatis. Praterea cum statutum vestrum in religione sancti Benedicti ad omnes aequaliter se extendat, & durum sit multis, tum propter locorum penuriam, & precipue monialibus, cum sint debiles & fragiles, hoc statutum obseruare, necesse est huic rigori discretum addere temperamentum. Super quo etiam postulamus, ut dominum papam super his velitis consultare. Cui dominus legatus respondit, quod si omnes prelati, scilicet isti presentes archiepiscopi & episcopi, vna cum eo super his domino papa scriberent, libenter consentiret. Et sciendum, quod quia aliqui opinabantur, sicut datum fuit intelligi domino legato, quod statuta sua robur nisi tantum in tempore sue legationis non obtinerent, iussu eiusdem surrexit in medio quidam clericus suus, magister scilicet Attho, & aperto libro autentico, scilicet registro domini papa, ad maiorem auctoritatem, ut validius talium opinionem improbaret, quamdam decretalem legit distincte & aperte, quam dominus legatus distinguens approbavit; per illam asserens manifeste, quod etiam post recessum eius sua statuta perpetua firmitatis robur debeant obtinere. Nec praterendum, quod primo die Concilii collocatis, ut predictum est, archiepiscopis, Cantuariensi scilicet

CÆLESTINI PAPÆ IV. VITA. 369

ANNO
CHRISTI
1177.

a dextris, Eboracensi vero a sinistris, perlectoque euangelio, Ego sum pastor bonus, dictisque collectis ad hoc pertinentibus, indictoque silentio, & turba comprimente castigata, dominus legatus sedendo, quasi tubam vocem suam exaltans, sermonem suum inchoauit, thema suum sic praeordinando. In medio sedis & in circuiitu eius quatuor animalia plena oculis ante & retro. In sermone profeguendo innuens, quod prelati, quasi animalia habentia oculos ante & retro, debent esse in rerum secularium dispositionibus prouidi, & in spiritualibus circumspicere, priora sequentibus caute continuantes. Et post sermonem legi fecit statuta alta voce & distincte qua firmiter statuit obseruari, qua subscripta in hoc libro duimus annotari. Hæc de Concilio Londinensi Paris.

Apo. 4.

VITA

CÆLESTINI PAPÆ IV.

ANNO
CHRISTI
1141.

CÆLESTINVS quartus, Mediolanensis, e familia nobili Castelionum, ex cardinale Sabino propter vitæ integritatem & raram eruditionem, Matthæo Paris & abbate Stadenfi duobus huius temporis scriptoribus attestantibus, ad pontificatum peruenit anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimoprimo, imperante Friderico secundo: senectute & ægritudine confectus, cum octodecim diebus tantum officio pontificali præfuisset, ex hac vita migravit. Cardinalibus vero aliquot per Fridericum in captiuitate detentis, sedes viginti fere mensibus vacauit. Nam in captiuorum cardinalium absentia ad noui pontificis electionem procedere, nec tutum, nec conueniens videbatur. Parisiensis Cælestinum in schismate electum fuisse scribit, utpote qui iuxta decretum Lateranensis Concilii duas tertias suffragiorum & votorum non habuisset. Abbas Stadenfis ait duobus schismaticis sese abdicantibus Cælestinum Gregorio legitime subrogatum quatuordecim diebus tantum sedisse.

SEDES VACANS.